fabiles deliciæ, à visione & possessione Dei enatæ, in futura vita erunt hominis beatitudo formalis, æterna & consummata.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA RAUL RANGEL FRIAS U.A.N.L.

INSTITUTIONUM

PHILOSOPHICARUM

TRACTATUS OCTAVUS.

DE MATERIA METAPHYSICE SPECTATA.

646. OBSERVATIO. Ad Metaphysicam quoque pertinet Materia, sub eo omni respectu in quo desinit esse *Ens sensibile*; in quo variis Sensuum relationibus est impervia, & solis patet Intellectus speculationibus.

Quid est & in quo consistit *essentia materiæ*? Quid est & in quo consistit *sensibilitas materiæ*; seu ea materiæ qualitas per quam nostros afficit sensus? Finitane an infinita est *divisibilitas materiæ*? Undenam sua est *materiæ activitas*: an ab ipsius natura, an à generalibus quibusdam legibus ipsius naturæ extrinsecis? Hæterogeneane an *homogenea* est materiæ natura?

Ecce tibi varias circa Materiam quæstiones, quibus nihil aut parum luminis suppeditabunt physicæ observationes; quæque proinde metaphysicis devoventur speculationibus.

De materiæ Essentia, Sensibilitate, Divisibilitate, Inertia, Homogeneitate, quintuplici breviter agemus articulo: atque ita habebitur quod vulgari *Physicæ generalis* nomine communiter intelligitur.

ARTICULUS PRIMUS.

ESSENTIA MATERIÆ.

647. OBSERVATIO. I. Ut Religioni, sic sua sunt interdum Naturæ mysteria, humanæ menti impenetrabilia.

Quid est materia? Ecce tibi quæstionem, in quam hactenus allisa est omnis Philosophorum antiquorum & recentium sagacitas.

Nulli enim hactenus Philosopho datum est *legitimam materiæ definitionem* dare; & eam materiæ proprietatem detegere & determinare, quæ ipsius constituit essentiam; seu quæ facit ut talis substantia sit materia, potius quam spiritus aut alia quælibet substantia.

Varias Philosophorum in hac re sententias exponemus & evertemus; atque inde concludemus essentiam Materiæ remanere incognitam.

648. OBSERVATIO. II. Circa *essentiam Materiæ*, in varias sententias abiere Philosophi.

I. Essentiam materiæ posuit Cartesius, in *trina dimensione determinata*; seu in actuali & tali extensione in longum & latum & profundum: ita ut, quantum augetur aut minuitur talis extensio, tantum minuatur aut augeatur existentia talis materiæ, talis corporis.

In hac Cartesii sententia impossibilis est omnino, etiam divinitus, tum *compenetratio*, tum *reproductio*: licet utramque supponere aut importare videatur mysterium Eucaristiæ. Hoc est, ne divinitus quidem & per miraculum fieri potest, ut diversæ partes alicujus corporis sint in uno eodemque loco, aliæ intra alias: quod est compenetrari. Similiter, ne divinitus quidem & per miraculum fieri potest, ut idem corpus sit simul in duobus locis diversis, verbi gratia, Romæ & Parisiis, in Cœlo & in Terra: quod est reproduci.

II. Essentiam Materiæ posuere catholici quidam discipuli Cartesii, in *trina dimensione indeterminata & variabili*: ita ut talis materia, verbi gratia, pes cubicus marmoris nullos poros habentis, habeat pro essentia, non trinam aliquam dimensionem unius pedis cubici, sed trinam aliquam dimensionem indefinitè majorem aut minorem; verbi gratia, trinam dimensionem unius leucæ cubicæ aut unius cubicæ lineæ.

Excogitata est secunda hæc sententia, ut conciliaretur cartesiana opinio, cum mysterio Eucaristiæ; sed infeliciter.

III. Essentiam Materiæ posuit Gassendus, in *impenetrabilitate partium materiæ*: seu, in propietate quam habet quodlibet corpus, quodlibet materiæ elementum, occupandi certum quemdam locum; ita ut ab eo loco corpus aliud quodlibet excludat.

Ab opinione cartesiana nihil differre videtur gassendica hæc opinio. Ideo enim judicat & affirmat Gassendus impenetrabiles esse partes Materiæ: quia ipsarum compenetrationi reluctari & repugnare videtur trina ipsarum dimensio inamissibilis.

IV. Essentiam Materiæ posuere nonnulli Philosophi, in *mera trinæ dimensionis exigentia*: ita ut corporis alicujus determinati partes omnes possint existere sine ulla omnino extensione reali; non possint autem existere sine exigentia & quasi appetitu suæ extensionis naturalis.

Excogitata est hæc sententia, ut explicaretur quidquid mysteriorum est in sacramento Eucharistiæ: in quo, inquiunt, existit *vera materia*, nempe corpus Christi, sine ulla omnino extensione; & in quo existit *vera extensio*, nempe Accidentia panis & vini, sine ulla omnino materia panis & vini.

V. Essentiam materiæ in *Multitudine partium physicarum & substantialium* ponendam esse censuerunt nonnulli alii Philosophi: ita ut tale corpus possit omnem suam essentiam retinere, amittendo omnem suam trinam dimensionem, & conservando omnes suas easdem partes physicas & substantiales.

Excogitata etiam est hæc sententia, ut commodius explicaretur mysterium Eucharistiæ: in quo sic admittuntur omnes partes corporis Christi, sub qualicumque accidentali extensione.

V. Essentiam Materiæ, in *extensione inerti* reposuit recentior quidam Philosophus: quæ sententia, cum nihil philosophicum præ se ferat, vix ullam meretur à Philosophis attentionem.

649. OBSERVATIO III. Cum evangelico dogmate, ad Eucharistiam pertinente, ita esentialem habet relationem quæstio præsens: ut circa ipsam, sine sufficiente fundamentalis istius dogmatis notitia, nihil certi & fixi statui possit.

I. In sanctissimo Eucharistiæ sacramento existere realiter verum Christi Corpus & Sanguinem, nullum realiter existere panem aut vinum, solemniter definivit *Concilium Tridentinum*, Scriptura sacra & sacra Traditione innixum (619), in hunc modum:

„ Si quis dixerit in sacro-sancto Eucharistiæ sacra-
„ mento, remanere substantiam panis & vini una cum
„ Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi; nega-
„ veritque mirabilem illam & singularem conversionem
„ totius substantiæ panis in corpus & totius substantiæ vi-
„ ni in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis
„ & vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia
„ aptissime Transsubstantiationem appellat: anathema sit
„ (*Sess.* 13 *Can.* 28).

„ Si quis negaverit, in venerabili Eucharistiæ sa-
„ cramento, sub utraque specie & sub singulis cujusque
„ speciei partibus, separatione facta, totum Christum
„ contineri: anathema sit (*Sess.* 13 *Can.* 3).

II. In Ecclesia Christiana, ab ipsis Apostolorum temporibus ad nostra usque tempora, semper extitit & viguit *generalis hæc persuasio*: scilicet in sacro-sancto Eucharistiæ sacramento existere realiter verum Christi corpus; & eucharisticum istud Christi corpus esse *illud idem corpus* quod olim immolatum est in cruce, & quod nunc regnat in cœlis.

Generalem hanc persuasionem testantur & demonstrant, tum pleraque Sanctorum Patrum opera, tum innumera alia omnis generis monumenta historica, tum diurnum Ecclesiæ Græcæ & Latinæ documentum.

PROPOSITIO. I.

650. *Essentia Materiæ non consistit, ut visum est Cartesio, in trina dimensione determinata.*

DEMONSTRATIO. Si essentiam Materiæ constitueret trina dimensio determinata; ibi existeret talis materiæ quantitas, ubi existit talis trina dimensio; ibi non existeret talis materiæ quantitas, ubi non existit talis trina dimensio: falsum utrinque consequens, ergo & antecedens. Demonstratur minor, tum ex theoria *spatii puri*, tum ex theoria *Eucharistici Corporis*.

I. Certum & evidens est, quod spatio puro sua sit triplex dimensio, fixa, determinata, immutabilis, indestructibilis, ut patet ex domonstrationibus superius traditis; & quod spatium purum, seu spatium omni corpore vacuum, non sit materia (363 & 370). Ergo falsum est, quod ubicumque existit trina dimensio determinata; ibi existat materia & talis materiæ quantitas. Ergo, juxta Cartesium, ibi existeret & materia & talis materiæ quantitas; ubi nulla qualiscumque existit materia.

II. Certum & evidens est, quod essentia corporis cujuscumque, identificetur cum illo corpore: cum essentia rei & res ipsa sint necessario una & eadem res. Ergo ubicumque existit aliquod corpus, ibi necessario existit essentia illius corporis. Atqui in Eucharistia existit idem illud Christi corpus, quod fuit in ara Crucis immolatum; ergo in Eucharistia suam habet essentiam & eamdem essentiam quam habuit in cruce Corpus Christi.

Sed visibile & manifestum est, quod corpus Chris-

*

ti in Eucharistia eamdem non habeat trinam dimensionem determinatam, quam habuit in cruce: ergo trina dimensio determinata, quam in cruce habuit corpus Christi, non constituit illius corporis essentiam.

III. Quod corpori Christi accidit per miraculum, illud idem potest alteri cuicumque corpori evenire: scilicet ut idem existat, sub trina dimensione penitus diversa. Ergo nullius corporis essentiam constituit trina ipsius dimensio determinata. Q. E. D.

PROPOSITIO II.

651. *Neque in trina dimensione indeterminata, neque in impenetrabilitate partium, neque in mera extensionis exigentia, neque in multitudine partium physicarum & substantialium, reponi debet essentia materiæ.*

DEMONSTRATIO. Ex rebus in ista propositione enumeratis, nulla includit & manifestat essentiam Materiæ: quod sic perpaucis evincitur.

I. Essentia materiæ non consistit in *trina dimensione indeterminata*: tum quia manifeste repugnat quod essentia rei determinatæ, consistat in aliqua re indeterminata; tum quia nulla existit materia, nulla existit extensio, quæ sit in se indeterminata.

II. Essentia materiæ non consistit in *impenetrabilite suarum partium*: tum quia falsum est quod partes materiæ sint impenetrabiles, (648); tum quia partes illæ, quæ supponuntur impenetrabiles, jam sunt materiales, & habent essentiam suam à sua impenetrabilitate independentem.

III. Essentia materiæ non debet reponi in *mera extensionis exigentia*: quia in indaganda materiæ natura & essentia, non admittenda est sententia quæ repugnet cum idea materiæ qualem habemus omnes, nisi insuperabilis quædam necessitas id postulet: atqui talis est sententia quæ hic à nobis exploditur. Nam ideam mihi omnem materiæ & corporis ademisti; ubi sustulisti extensionem:

quidquid enim de materia & de corpore cognosco & affirmo, illud extensionem continet ac supponit.

Quod autem nulla insuperabilis necessitas talem admitti sententiam postulet, patebit ex dicendis. Eo enim duntaxat fine excogitata est hæc sententia, ut explicaretur commodiùs quod pertinet ad eucharisticum Christi corpus: à quo omnem omnino extensionem excludi supponebatur; & cui realem aliquam, sine ullo incommodo, tribui posse extensionem modo probabimus.

IV. Essentia Materiæ non debet reponi in *multitudine partium physicarum & substantialium*: tum quia hæc sententia id non manifestat, quod habet manifestandum; tum quia in hac sententia atribueretur qualitas materiæ, nonnullis substantiis quibus esentialiter repugnat hæc qualitas.

Patet pars prior. Nam, querenti à te *quid sit materia*, respondes materiam esse Totum aliquod, partium physicarum & substantialium multitudine constans. Verum quærendum restat, quænam sit partium illarum natura; nam quælibet est materia: atque ita dabitur absurdus in infinitum progressus. Ergo materiæ naturam tua non aperuisti definitione: ergo materiæ essentiam non esse tibi notam, fatearis necesse est (301 & 197).

Patet etiam pars posterior. Nam, in hac sententia, quædam Angelorum aut Animarum humanarum collectio, erit vera materia. Q. E. D.

652. COROLLARIUM. *Ignota remanet essentia materiæ.*

DEMONSTRATIO. Certum & evidens est, quod essentia materiæ existat in materia: quandoquidem essentia rei est ipsamet res. At, quid sit & in quo consistat *essentia materiæ*, seu intrinseca hæc proprietas, per quam aliqua substantia est substantia materialis potius quam substantia spiritualis aut alia quæcumque substantia; id nemini hactenus detectum & manifestatum est: quandoquidem, ut patet ex dictis & demonstratis, falsum aut antiphilosophicum est, quidquid in hac re, post tot ac tanta ingenii molimina, excogitatum est à philosophia.

Unde quærenda & assignanda hactenus remanet & in æternum forte remanebit legitima Materiæ definitio. Q. E. D.

PROPOSITIO III.

653. *Extensio, seu trina dimensio, realis & solida, est proprietas à materia inseparabilis: quamvis essentiam materiæ non constituat.*

DEMONSTRATIO. Quod essentiam materiæ non constituat trina dimensio realis & solida, sive fixa & determinata, sive indeterminata & variabilis, demonstratum est modò.

Demonstrandum nunc superest nobis, quod nunquam possit materia privari penitus trina sua dimensione reali & solida; & quod trina hæc dimensio, licet in se variabilis, licet in se distincta ab invariabili materiæ essentia, semper sufficiat ad distinguendam & discernendam materiam ab eo omni substantiarum genere quod non foret materia; & sic demonstratur.

Affirmandum est de rebus, quidquid in ipsarum idea semper & necessario includitur (69). Atqui in idea omni materiæ semper & necessario includitur aliqua extensio realis & solida; quæ soli materiæ convenit: quoties enim sermo est de substantia cui nulla talis extensio supponitur, toties aliquid à materia diversum concipimus. Ergo in omni idea materiæ semper & necessario includitur extensio aliqua realis & solida, quæ Materiam ab omni non ipsa distinguit & secernit.

Ergo realis extensio est proprietas semper mareriæ conveniens, semper à materia inseparabilis: quamvis in eadem materia indefinite possit esse variabilis. Q. E. D.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

654. OBJ. I. In eo tantum peccat præcedens Cartesii sententia, quod stare nequit cum dogmate catholico ad

Eucharistiam pertinente: ergo nihil peccat. Probo cons. Indefinitum Philosophiæ jus est, in suis speculationibus, præscindere à dogmatibus Fidei, nullatenus curare Fidei dogmata: ergo nihil peccat cartesiana hæc sententia.

RESP. Nego ant. simul & cons. Independenter à sua incompatibilitate cum dogmate catholico ad Eucharistiam pertinente; in eo etiam peccat cartesiana hæc sententia, quod spatio omni materia vacuo absurde attribuit proprietatem materiæ. Ad probat. consequentiæ, potissimum negatæ, nego ant. quod sanæ omni Philosophiæ est manifeste oppositum.

I. Destinatio & functio sanæ omnis Philosophiæ, est *indagatio veritatis*: ergo, non Philosophus, non veritatis amator, sed merus Impostor aut merus Fabulator est, quisquis alium sibi finem philosophando proponit.

II. Sibi ipsi nunquam opposita est *veritas*: ergo quidquid opponitur alicui veritati certæ & indubitabili; illud manifeste falsum est, illud à Philosopho non potest adoptari.

III. Dogmata Fidei, mysteria divinæ Religionis, sunt *revelatæ totidem Veritates*: ergo falsa & antiphilosophica est sententia omnis, quæ cum istis pugnat veritatibus. Ergo, non veritari indagandæ aut stabiliendæ, sed obscurandæ aut evertendæ adlaborat; quisquis aliquam parturit aut amplectitur sententiam, quæ revelatæ alicui veritati repugnat.

655. OBJ. II. Corpus Christi in Eucharistia, est *corpus supernaturale*: ergo, quamvis illud corpus careat sua trina dimensione determinata, non inde sequitur quod *corpus naturale*, de quo solo agit Cartesius, possit illa carere.

RESP. Dist. ant. Corpus Christi in Eucharistia, est corpus supernaturale, quoad substantiam suam, nego ant. quoad suum existendi modum, conc. ant. & nego cons.

Corpus Christi in Eucharistia, est illud idem cor-